



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

Svmmorvm Pontificvm Romanorvm Continvata Svccessio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**



# SÆCULVM QUARTVM CHRI- STIANVM.

SVMORVM PONTIFICVM ROMANORVM  
CONTINVATA SVCCÈSSIO.

32. S. **M**ARCELLVS Papa  
creatur anno 304. à Ma-  
xentio anno 308. in Ca-  
tabulum cum Christia-  
nis damnatus; ibidem inferuitio bestia-  
rum, amictus cilicio, reddidit spiritum  
Deo, anno 309. Cum sedisset annis 5.  
Men. 1. Constituit 25. *Titulos in Vrbe*, ob  
multorum & baptismum & Pœnitentiam,  
qui conuertebantur; & ob sepul-  
turas martyrum, quos in Vrbe sepeliri  
obtinuit à Maxentio, dum se fingeret  
Christianum.

33. EVSEBIVS Atheniensis creatur  
anno 309. Moritur anno 311. Sedit annis  
1. Men. 7.

34. S. MELCHIADES creatur anno  
311. Cæciliani Episc. Carthag. causam,

accusati ab Donatistis, anno 313. cog-  
nitam, pronunciat in Conc. Romano iu-  
stam, Appellantes ad Imp. Constanti-  
num reiiciuntur ad Papam; quem ca-  
lumniantur de Traditione librorum,  
&c. Moritur cum sedisset an. 2. Men. 2.  
Dies 7. Inter Martyres numeratur: sed  
more prisco, quo etiam Confessores  
martyrum vocabulo nominabantur.

Constituit, *Ne quisquam in Domini-  
ca, aut feria quinta tetinet*; quod Pagani  
ijs ieiunarent.

*Eulogias*, seu panes cõmunes, sub Mis-  
sa consecrari solitas, dariq; præsentib.  
ac mitti absentib. in signũ cõmunionis  
Christiane, (nõ Sacramentalis) ab S. Pio  
I. olim cõstitutus; & S. Melchiales ob-  
seruari iussit, quod panis sit tymbolum

h 2 Vni.



Vnitatis. Dicebantur etiam *Oblationes, benedictiones. &c.*

Scriptit idem epistolam ad Episcopos Hispaniæ de Primatu Romanæ Sedis; & de Sacramento Confirmationis num sit maius Baptismo.

35. S. SILVESTER creatur anno 313. Mittit anno 314. Legatos ad Conc. Arelatense, qui huic eius nomine præsideant, in causa Donatistarum contra Cæcilianum. De quo in *Varijs infra.*

Aruspices anno 323. cient turbas aduersum Christianos, vt S. Syluester fugere cogeretur in Soracten.

Vnde ab Constantino leproso, iussu Apostolorum, euocatus eundem & baptizat, & à lepra confanat.

In Conc. Romano plures anathematizat hæreticos.

Sanxit, vt *Ecclesiasticarum possessionum pars vna cederet Pontifici; altera Clero; tertia Fabricæ; quarta pauperibus: Chrisma conficeret Episcopus, non Presbyter: Ne Clerici inferiores accusarent superiores.*

Ne in parochijs plures duobus essent *Diaconi*, Romæ septem; Ne *Subdiaconi* inirent nuptias; Ne *Lectores* S. vasa contingerent; Ne *acolythi* Sacramenta ministrarent; Ne *sacrentur Virgines*, neue profiteantur ante prænitam ætatem. &c. *Quod nemo diiudicat Primam Sedem, nec eius iudicem.* Hisce & Imperator subscripsit. Ad Conc. Nicænum contra Arium mittit Legatos, per quos ei præfideat. An, sequente idem in Conc. Romano confirmat. Draconem extinxit, cultum latriæ, & pestilentem, &c. Moritur anno 235. Sedit annis 21. Men. 10.

36. M A R C V S. creatur anno 236.

obit eodem, cum sedisset Menfib. 8. 37. I V L I V S creatur an. 236. Insequente an. Conc. Romæ cogit pro ampliore confirmatione Nicæni, vt laboranti Ecclesiæ orientis subueniret. Iterumque aliud, an. 340. in causa S. Athanasij, quæ an. 342. è latebris Romam euocat: eundemque Paulum in Sedem Constantinopolitanam restituit. Demum an. 347. præfider Concilio Generali Sardensi in causa Arianorum, &c. Vide in *Varijs infra.* Obiit sancte an. 352. cum sedisset annis 15. Men. 5.

38. S. LIBERIVS creatur an. 352. Ad Imperatorem Arianum, S. Athanasij persecutorem mittit an. 353. legatos, mitteret vt Conciliū indicat; in quo et Confessores contra S. Athanasium pro Arianis subscribunt dissimulantibus; legatis: quos ideo Papa coarguit.

Anno 355. Fortiter contra Constantium pro S. Athanasio agens in exilium relegatur cum nolentibus subscribere contra Athanasium in Conc. Mediolano: quod Constantius cogit in suum palatium, dissentientes ab Arianis concludit, subscribere cogit. Orientalibus Episcopis dicentibus: *Cogi ad subscribendum non est Iuris Ecclesiastici:* respondit: *Quod ego volo, pro Canone esto:* Sic enim me loquentem Syriæ Episcopi terunt. Mittit porro ad Præsides provinciarum, qui Episcopos eogant ad subscribendum. Papam minis tentat, donisque psemet, in aram quoque oblatis 5000 aureis: quos respuit; iussu exulare etiam datas in exilium pecunias rejicit tertium. Arianum Felicem ei surrogant orthodoxum, at Arianos in Communionem admittentem.

Anno



Anno 356. intercessione Romanorum matronarum restituitur ab Imp.

Anno 357. Exilij tractus tædio subscribit damnationi Athanasij, & Concilio abulo Sirmiensi; excepto quod non probatur illud Photini de *omnino*; nam *omnino* constanter seruauit. Cum Felice Populus, Clerusque Romanus nunquam uoluerunt communicare: quin & Liberium in Urbem reuersum adeo condare reiecerunt, ut intra ecclesiam plures Clericos ac ciues contigerit enecari. Felix uero resipuit; Arianos deseruit; cum Liberio stetit: Constantium damnat: ab hoc per capitis obrucationem coronatur Martyrio. Liberius quoque suammet cum Arianis communionem, & S. Athanasij damnationem damnat & execratur; legatos Imperatoris reiecit, donec professionem Fidei ederent iuxta Conc. Nicænum. In ea Constantiana persecutione has voces personabant vulgo: *Christianus sum, non Arianus: Catholicus, non hereticus.* In Gallicanos Episcopos nil audebat Imperator; quod rebellarent barbari; quibus refellendis assumplit impius impium Iulianum.

Anno 359. Renuens subscribere Arianis, à Valente pellitur ex Vrbe.

Anno 362. Mittit legatos ad Conc. Alexandrinum; cuius & acta confirmat.

Anno 365. *Semiariani* ex Conc. Lamplicensi Legatos ad Liberium missos iubent simulare sese catholicos ac etiam professionem facere fidei iuxta Nicænum, ut Papæ persuadeant *omnino* nil differre ab *omnino*; iamque Orientales plerisque ad subscriptiones induxerant.

Quo viso Papa ratus Orientem cum Occidente fore reconciliandum; etsi

agre, recipit tamen in Communionem Legatos.

Anno 267. obit; cum sedisset annis 15. Men. 4. Diem vnum.

A multis S. Patribus *Beatus: Sanctus* à multis dicitur, ac colitur. Ædem Mariæ ad Niues posuit; quod Angeli in Augusto iacta niue locum designassent.

39. S. DAMASVS ex Vicario Papæ creatur Papa ex communi Felicis, anno 267. & contra eum Ursinus à Libertianis, fœdo cum schismate: quo intra templi electionis die cæsi sunt 137. viri; Schismatici infamant S. Damasum: quem S. Hieronymus vocat *Virginem Virginis Ecclesie. &c.*

Anno 369. in Conc. Romano damnat Auxentium Mediolanensem Arianum, S. Hilarij antagonistam.

Anno 373. Conc. Romano damnat Apollinarem hær.

Anno 381. Curat conuocari Conc. Constantinopolitan. Oecumenicum, cuius & acta de fide confirmat.

Vriturque S. Hieronymo in respondendo ad Synodicas consultationes.

Anno 384. moritur, clarus miraculis: cum sedisset annis 17. menses 3.

40. S. SIRICIUS anno 385. creatur tumultuantibus Ursinians: horum multos cum Ursino proscriptos relaxat ab exilio.

Anno 386. Concilium Romanum celebrat contra Donatistas Africanos.

An. 389. laborat contra Manichæos.

An. 390. Damnatur Louinian hæresiar. cham: arguitque S. Hier. quod minus caute refutasset eum.

An. 397. Dolose circumuentus ab Origenistis impertit eis *Communicatorias.*



Anno 398. cum sedisset annis 13. Men. 1. obiit. Sancijt Manichæos pertinaces exilio multandos: conuersos vero monasterijs includendos, nec communicandos nisi sub mortem.

41. ANASTASIVS anno 398. creatur: protinus citat hæreticos ad reddendam doctrinæ rationem.

Sed conscij hoc se non posse maluerunt absentes damnari. S. Paulinum Nolanum ad *Limina Apostolorum* peregrinantem, honorificè excepit.

Tunc vero isthuc perfreques erat peregrinatio.

An 399. fulminat cum S. Patrib. contra Origenistas: Eccl. Africanæ reconciliandæ, conuertendisque hæreticis studet, & disciplinæ Ecclesiasticæ reformandæ per Concilia complura.

Anno 402. moritur, cum sedisset annis 4. Men. 1. Dies 13. Constituit, ut ad recitationem Euangelij Sacerdotes incuruati starent; non sederent.

Sedere autem solebant inde, ex quo Romæ Diaconi esse Presbyteris voluere pares, interque eos assidere.